



x 186 2222

# IMPERIUM ABSOLONIS,

Charactere Politico

expressum,

PRÆSES

M. THEODORICUS à DUNTE

Livonus,

RESPONDENTE

MICHAELE Engel

Dantisc. Borufs.

ad disputandum exhibet

*ad d. 21. Decembr.*

horis antemeridianis in Auditorio Minori.

WITTEBERGÆ,

Stanno FINGELIANO exscribat MICHAEL METER,

Anno clō lōc LXVII.



220



52

IMPERIUM

ALD

ALD

ALD

ALD

ALD

ALD





## PRÆLOQUIUM.

**P**raestat ut sub exemplo militet disceptatio, quàm ut exemplum illi subi-  
jiciatur, Verulamii digna memoratu vox est: cujus rationem ubi  
attendo, gravissimam subesse sentio. Etsi enim eorum institu-  
tum, qui Civilem doctrinam exemplis, ac documentis, ex Histo-  
riâ petitis, illustrant, improbandum adeò non sit: magis tamen ad Ci-  
vilis Prudentiæ indolem laudata Baconi ratio accedere videtur. Re-  
petam rem paulò altius. Ut enim aliarum Scientiarum & Artium ple-  
rarumq; ita & civilis doctrinæ Mater est Experientia, juxta illud Ari-  
stotelis l. 1. Metaph. c. 1. Ἀποβαίνει δ' Ἐπιστήμη καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας  
τοῖς ἀνθρώποις. Experientia autem & Artes tam arcto inter se connexæ  
sunt vinculo, ut earum principia per Experientiam, hæc non nisi à  
principiis declarari ac probari debeant. Quæ etsi & nostrum o-  
mnium mens sit, nihilominus illorum superciliosum fastum minimè  
ferre possumus, qui civilibus negotiis expediendis admoventes ma-  
num, sibi solis illam sapientiam tribuunt, de qua vetus Poëta apud  
Gellium l. 13 c. 8. dixit:

Usus, me genuit, mater peperit memoria.

Egregia, credo, ac ampla erit illarum rerum, quæ visu & tractatu co-  
gnitæ sunt, notitia, nisi aliunde advenerit, penes illos, qui, quod fieri ne-  
quit aliter, certo negotiorum generi in una Republ. sunt mancipati.  
Quàm, quæso, angustis admodum cujuslibet experientia includitur  
terminis, & quanta Politicæ Prudentiæ amplitudo est? Tanta sanè, ut,  
qui non omnia, quæ de omni Republica, omnibusq; in ea negotiis in-  
universum dici possunt, experta satis habeat, amplissimi hujus nomi-  
nis dignitatem tueri satis non possit. Quare advocanda est aliorum  
Experientia, eaq; tota nostra facienda, eoq; magis, quo iter per propria  
pericula longius ac periculosius, ac quo plures aliorum eventis docentur.

Tac. IV. Annal. Præcipuum hujus rei adminiculum accuratiorem Exemplorum ruminatiōem & evolutionem, ac si hæc communicanda aliis, Observatiōes & Discursus super Historiam & Exempla esse arbitramur. Scientia enim, quæ recenter & quasi in conspectu nostro ex particularibus elicitur, viam optimè novit particularia denuò repetendi. Hæc porro ratiōe Prudentia universalis optimè applicari, ac Civilis Prudentiæ præcepta in rem transferri possunt, deniq; qui civilibus negotiis immisceri nolunt, id assequuntur, ut gravissimis rebus ac consiliis interesse, ac experiri ea sibi videantur. Nobis cum idem sedeat animus, placuit ex Sacro potissimum Historico, ineffabili omnis Sapientiæ thesauro, Exemplum ad carceres Politicos revocare. Nam ut aliàs etiam illa, quæ ex Historia oritur, rerum Politicarum cognitio tantopere non distat ab ea, quæ per experientiam obtinetur, nisi quòd illa alienâ fide nitatur, hæc autem sensibus perceptis: ita nunc illarum discrepantia tanto minor erit, quo est sacer Historiographus omni fide major, ac sensu certior. Absolonis machinationes producemus, ac, quibus artibus Imperium invaserit, quibus confirmaverit, quo deniq; fato illo exciderit, exponemus. Cum verò his ipsis fermè articulis Imperia omnia, & his accommodata Prudentia absolvantur, non ineptè quis forsitan hoc Exemplum brevem illius *συναγχαφία* dixerit: præprimis inde, quòd agitata illa Consilia ex imis Civilis Prudentiæ Penetralibus deprompta sint. In his erudis præsens opera occupabitur; quod ut fiat felicius, rationes consiliorum Absolonis ac momenta eorundem exponenda erunt. Si verò Scientiâ rerum & iudicio parum confirmato destituti alicubi videbimur, humani quippiam à nobis alienum minimè putamus.

Tu

JOVA JUVA!

# IMPERIUM ABSOLONIS

## CAP. I.

### Imperii Occupatio.

**A** Gebat tandem David, postquam fato functus erat Socer, dies Halcyonios, & ecce Filius, malè Absolon dictus, Patrem de Regio Solio turbare audet. Addebat ad hoc patrandū facinus stimulos I. ingenita illa magnis animis Imperandi Libido, quos insuper II. flagrans vindictæ desiderium acuebat. Inspiraverat hoc dictatum à Patre exilium; postquam verò ope Consobrini ad aulam Regiam admissus, denegatum tamen adspectum malè ferebat, ac etsi hunc tandem etiam impetrat, commotus tamen animus sedari non poterat, maximè III. cum spes successionis omnis penitus illi præcisa esset.

Quare ut conceptam semel animo, atq; iis stimulis agitatum, regnandi aviditatem expleret, his utitur artibus, atque ita eas ordinat. Ante omnia externus splendor rebus suis conciliandus erat, ac prætereà prospiciendum, ne manifesto, sicuti conjuratio fuisset detecta, periculo exponeretur. Itaque I. Curruum, Eqvorum, ac Satellitum egregio sibi comparato apparatu, ad portas, ubi frequens erat populi confessus, se confert, ac II. Populi auram sollicitare incipit. Cùm autem hanc captare non posset, priusquam amor erga Regem omnis exspirasset, (α) neglectæ Justitiæ illum accusat. Quà admotâ helepoli, Regiæ dignitatis fundamentum uno quasi ictu concutit, ut vacuefactis subditorum animis (β) se justitiæ totum devovendo, (γ) Comitatus deniq; & blanditiis sui cultum

inlinuare facile perquam illi fuerit. Hæc autem blandimenta eo fuere efficaciora, quo magis III. excellens forma & totius corporis elegancia homines in sui admirationem rapere solet. Dispositis ergo domi negotiis in aula expedire illa non poterat. Quare ut IV. Hebronem tutus abire posset V. rem Sacram vendit, quam dum simulatè peragit VI. magis magisque sibi suorum animos obstrictos reddit. Noverat porrò callidus homo, quantum in Republica tribuendum Consiliis: hinc VII. senem ac hostis sui consiliarium Achitophelem ad se evocat, ac ejus ope in confirmando postea imperio utitur. Quæ tamen omnia, quantumvis callidè adfecta, procul dubio irrita fuissent, ni VIII. Rex adulter ac homicida factus Divinum Numen provocasset ac: major filii conatibus obex fuisset, positus si IX. Hierosolymas, Judæorum Metropolin, non temerè adeò deseruisset. His ergo gradibus Regium Solium ascendit.

Εξήγημα.

§. I.

*Ambitio.*

**I**Nter ea, quæ Absolonem ad hujus sceleris audaciam impulere, Ambitioni primas deferimus, utpote cui prima maximaq; Imperia ortum ac primam originem debent. Quod dum dicimus, minimè eorum sententiæ contradicimus, qui Societates secundum naturæ ductum institutas esse asserunt. Etsi enim homines non vi & violentiâ coactos, sed aut necessitatem metumque, aut sapientum eloquentiam, vel naturam ipsam, societatis appetentem, collegisse in unum credamus: postquam tamen æquali ita jure collecti agerent, ambitione potentiorum dominationem subiêre. Rationem hujus rei nemo requirat, dabimus antiquitatis testimonia. Primus in orbe dominantium Nimrothus, ignotam ante illa tempora mortalibus dominationem vi introduxit. Cyrus ereptum Avo, haud sanè justo titulo, imperium ab Assyriis ad Persas transtulit. Et Alexander M. etiamsi patrium, amplum fatis & firmum haberet

57.

habere regnum, imperandi tamen cupiditate ita abreptus fuit, ut totum orbem expetendo, vita citius finem habuisse videatur, quam regnandi desiderium. Horrendum sanè dictu, factum esse ambitionis scelere, ut ex XXVI. Imperatoribus, qui Cajum Caesarem ad Maximinum usque secuti, XVI. truculentâ morte interempti, reliqui secundum naturæ institutum ex hac vita migrârint, sicuti eorum numerum init. Machiavellus disp. in Liv. Lib. 1. c. 10. Prolixus foret eorum catalogus qui ambitione accensi, imperii fasces ad se rapuère. Tanta sanè ejus vis est, tamque ab omni pietatis sensu aliena, ut neque arctissimæ necessitudinis discrimen admiserit. Quantum est eorum numerus, qui ambitionis ac regnandi cupiditate accensi, ipsorum Parentum jugula petièrè. Taceo teterrima Othomannorum parricidia, quæ pro imperio tam multa commissa sunt, ut neque parentes liberis, neque hi illis parcerent. Adramelechi & Saraferis infauusta nomina ex Sacris nota sunt omnibus. Ptolomæo ex facinoris crimine cognomentum habuit Philopater Just. l. 29. c. 1. Qui ejusdem farinae homines, filios sceleratissimos, legere vult, non contemnendum eorum numerum inveniet apud Arnizam de Repb. l. 2. p. 98. & 169. Horum omnium Absolon infelicissimus Antesignanus est, nequaquam inde excusator, quòd Parentis cruore manus nondum maculârît, cum paterni sanguinis defectum turpissima conjugum Patris stupratio & Ammonis cædes compensârît. Penitus enim persuasi sumus, illum ulciscendi Thamarim ardorem, non tam ab amore fraterno, quam ambitionis scelere accensum fuisse, ac trucidâsse Fratrem, ne in adeundo regno, cum esset natu major, obstaculo sibi esset. Quod si tantopere violatam sororem doluit, cur non in Jonadab, autorem consilii, sæviit? Ac ut hoc credamus facilius, adducunt nos quàm plurima hujus rei exempla: Titus Domitiano, Jugurtha Adherbali & Hiempsali, Caracalla Geta, Fratribus infidias hoc nomine fecèrè, ac quæ sunt alia, quorum recensione abstinemus. Scilicet hoc est ingenium ambitionis, quod virtutum studio jurisque titulo assequi nequit, præcipitiis vitiorum & injuriâ consequi laborat. Et solet hæc imperandi libido cum ingenii ferocia plerumque infelici gaudere consortio, sive quòd altera sine altera inefficax, sive quòd ejusdem matris superbix filix sint. Sanè sororium hocce vinculum tam arctè est connexum, ut, sicubi una hatum occupaverit animum, alteram, invitâ etiam naturâ, in sui consortium trahat. Augustus, mitissimus Princeps, nequaquam feritate animi aut innatâ crudelitate

delitate adactus, ad sævisimam Nobilitatis Romanæ proscriptionem descendit. Adeò verum est illud Taciti 15. Annal. *Dominandi cupidine ullus affectus non est flagrantior*, addo & crudelior.

*Vindictæ  
desiderium*

§. 2. Sed cohibuisset forsitan Absolon cupidinis suæ frena, nî illa non simplex vindictæ stimulus laxasset. Ammone enim, quem ob primogenituram vehementer amabat David, perempto, linquere aulam regiam, ac apud avum Thalmai exul agere coactus fuit. Adegerat illum huc ingens Patris ira & odium, quod eo etiam excreverat, ut sæpius, armatâ etiam fortassis manu, quæsitum Absolonem exiverit: quemadmodum adhuc cum Luthero, quicquid alii etiam contra clamitent, non sine ratione statuimus. Ridiculum enim dicere, desiderasse Davidem egredi ad Absolonem, cum paulò post Davidis cor adhuc contra eum esse, ut loquitur Hebræus, Joab videret, quam interpretationem & ipsi admittunt. Quid igitur tam callidis consiliis, ad reducendum Absolonem, opus fuisset? Varius insuper fuerit David, qui tunc, cum Gesuris esset, degenerem filium videre maximopere desiderasset, & postquam habuit præsentem in aula, nequaquam ad aspectum admittere voluit. Et quæ sunt alia, quæ hîc adducere alienum foret. Commoverat ergo hæc res Absolonem, cumque Patriâ pellî, ac exilium apud exteros gravissima ferentibus injuria nunquam non visa fuerit, Vindictæ desiderium inspiraverat, dominandi libidine explendum. Procul enim dubio jam tum Gesuris scintillulæ hujus seditionis, quæ post tot demum annos concepit flammæ, gliscere cœperant. Atque hæc est exulum potentiorum conditio, ut immane erga expulsorem concipiant odium, eoque laborent unicè, quò vindictam assequantur. Quare, ut Servium Tullium, actis in exilium Anci filiis, quos cædis soceri sui autores credebat prudentiam destituisse Bozhor. Diss. 6. de Rom. Imp. judicat: ita de Davide in re similima idem ferendum est judicium. Aut enim fodicandis non erat Absolon, aut cum cœpisset David, gravius in illum statuendum fuisset. Hinc Romanis, unde rerum magnarum exempla meritò petuntur, ea in decernendo plerumque placere consilia, quibus eo hostis adigeretur, ut aut nocere non posset, aut non vellet. Hîc omnne medium in vitio ponitur, omne extremum laudabile: Pauci enim Camilli sunt, qui exilium Patriæ æquo ferant animo, qui verò ejus ultionem armis moliantur, invenies quàm plurimos Coriolanos.

Quor



Quodsi Athenienses ceterique Græci in proscribendis summis Viris non adeò fuissent faciles, tot turbis ac seditionibus nunquam eorum Respubl. afflictæ fuissent. Sed redeamus ad Absolonem, postquam & ille, exacto absentia triennio, cum Rege in gratiam rediit, Qvî enim poterat severius in illum animadvertere Pater? Norat in se peccatum, quod in Ammone damnaverat, ideo neque illud plectere supplicio, neque graviore verbo reprehendere ausus est. Norat in se peccatum Absolonis, quod per fraudem virum, quem antea inebriari voluerat, occidisset, & si quis oboriretur ulciscendi ardor, illum peccati non dissimilis conscientia restinguebat. Itaque patriis laribus filium restituit. Ne autem, quoties occurfaret oculis, toties fraternæ cædis memoria recurreret, præsentiam ac adspectum ejus ferre non poterat. Cum Manlius Torqvatus Decium Silanum filium, quod pecunias à sociis poposcerat, protinus è conspectu abire jusisset, filius dolorem, ex illa ignominia susceptum, morte redimendum putavit. Percussus enim tristi Patris sententiâ, lucem intueri non sustinuit, suspendioq; se proximâ nocte consumpsit. Val. Max. l. 5. c. 8. Cic. l. 1. de fin. Quo animo Absolonem denegatum, Patris adspectum tulisse dicemus? Procul dubio eò, quem verba turgida exprimunt: *Aut ad Regis adspectum admittar, aut, si eam promeritus videor, morte consumar.* Utique eâ dignus erat: Sed dum fratris occisi facinus non vindicatur, in parricidium facinus reciduum iteratur. Illud autem neqvissimi hominis conatibus adhuc deerat, ut, quæ moliri erat animus, nequaquam odio aut vindictâ impulsus suscipere videretur. Igitur tam anxie Patris adspectum expetit. Quodsi enim nondum satis Patri reconciliatus has turbas excitasset, procul dubio tam multos conaminis sui asseclas non invenisset. Nunc cum pristino amori & adspectui redditus esset, nulla alia impulisse illum videbatur causa, nisi sublevandi afflictos studium.

§. 3 Hæc autem omnia, dummodo levissimo adhuc pietatis sensu fuisset ductus, obsequium aut concoqvisset, aut ad Patris fatum suppressisset, si quâ succedendi spe ambitiosum animum fovere potuisset. Quamquam enim ex divini Numinis promisso, Regnum Israël ad filios Davidis devenire debuit, Absoloni ta-

*Den egam  
successio*

B

MEM



men omnis spes præcisa fuit. Postquam Ammon fraude Absolonis trucidatus, Primogenituræ jus ad Chileabum, natum ex Abigaele, devolutum erat. Ut autem & usus gentium, & sana ratio Principatum natu maximo deferendum svadet; ita apud Hebræos longè major meliorque primogenitorum fuit conditio. His largior hæreditatis dabatur portio, in optione loci tribuebatur honestior, his concedebatur elegantior cultus & vestitus, his denique maximus ubique honos habebatur. Ac Græci & principium & Principatum *ἀρχὴν* vocant, quasi eidem debeatur Principatus, qui, ut primogenitus, est etiam nascendi principium. Itaque Chileab procul dubio in adeundo regno primas tenuisset. Ac etsi hic aut mortuus, aut ad regnum fuisset ineptus: fraternus tamen sanguis Absolonem notaverat, ac Patri & Synedrio exosum reddiderat. Accedebat huc, quod maximum est, Divinum mandatum, quo à regno Absolon arcebatur. Quod enim DEUS dixit: *Ex fratribus tuis tibi Regem sumito*, illud Hebræorum interpretatio ita explicat: Non constitues Regem è cœtu Profelytorum, etiam post plurimas generationes, usque dum mater fuit ex Israël. Natus enim erat Absolon ex Maëcha, filiâ Thalmai Regis Gesuris, ut adeò etiam si omnia in expedito fuissent, inde tamen ad capeffendum Regni sceptrum admitti non potuisset. Itaque quod à manibus fato defuncti Patris justo titulo expectare non poterat, vi ac fraude sibi rapit. Nunc quâ ratione factum, ut vivo adhuc Patre has turbas dederit, conjecturis satis assequi non possum. Commodius enim Regia Sedes occupari posse videbatur tum, cum morte Davidis vacuefacta fuisset. Sed tum aliâ, & fortassis difficiliori viâ Absoloni incedendum erat. Exspirasset insuper illorum consiliorum ratio, quibus nunc feliciter populum in sui amorem traxit. An verò nimius regnandi ardor consilia præcipitavit?

*Satellitium*

§. 4. Postquam igitur ad audendum hocce facinus confirmatum satis haberet animum, nihil videbatur reliquum, nisi eorum, quæ animo agitabat, strenuum auspiciam. Quod ut capesceret, eò præprimis curas suas omnes intendit, ut & satis tutus esset, ac regio fulgore vulgi oculos perfringeret. Adornat currus & equos, & quinquaginta virorum satellitium sibi comparat, quod est Tyran-

61.

Tyrannis Principibusque commune munimentum: illis quidem, quod aliunde nullum habeant praesidium; his autem, ut, quos amor à civibus & bonis omnibus, eosdem ab æmulorum & sceleratorum infidiis armatae excubiae defendant. *Posse Principem sine Satellitibus imperare, si ita imperet, ut liberis genitores*, Agasicles bona quidem, sed non satis tuta vox est, apud Plutarch in Apophth. Lacon. Principibus enim, cum iustissime imperant, non tam suum, quam aliorum scelus metuendum est. Tyranni contra, cum suum magis quam alienum scelus metuant, tanto firmiter inde praesidium sibi petunt. Augustus equidem, etiamsi vi ac fraude imperium occupaverat, nihilominus suis artibus, quibus Populum allexerat, tantum tribuebat fidei, ut satellitio sibi opus esse non existimasset, nisi eleganti Liviae conjugis oratione, quae exstat apud Dionem l. 4. adductus, aliter postea sensisset. Lucius verò Tarquinius cum ad jus regni nihil quicquam praeter vim adferret, corpus armatis circumsepsit. Ac Romulus trecentos armatos, quos celeres appellavit, non in bello solum, sed etiam pace habuit, teste Liv. ibid. Quis enim tutum esse Principem existimabit, ubi nihil à Principe tutum? Securitas mutuo pascenda est. Quam amplum autem & speciosum fuerit illud nomen, quod Absolon suo Equitatu ac satellitio praetexit? Illa enim *ἰππολογία*, ille curruum ac satellitum apparatus nunquam non suspectus fuit. Niceas apud Thucydidem in Oratione ad Athenienses de Alcibiade querebatur, quod immodicis sumptibus equos aleret, eaque magnificentiam emolumentum aliquid & Imperatoriam dignitatem consequi speraret. Movit eadem res & Liscum, ut inter alia etiam illud redarguendi coram Caesare Damnorigis poneret argumentum, *quod magnum numerum equitatus suo sumptu alat & circum se habeat*. Qui ergo David de Absolone sinistra nihil suspicatus? Scilicet ut plerumque turbatores, quibus invalida adhuc neque satis adulta potentiae fundamenta sunt, armis caeteroque apparatus alienam speciem ac favorem obducunt: ita Absolonis versutia optimo Patri imposuit. Sentire de se, forsitan conquestus est, exiliter ac contemptim omnes, postquam tot annis exul ac privatus vixisset, cumque Hebronem abire esset animus, ut omne infortunium excluderet,

sibi prospiciendum, ne illi, qui Ammonis partes secuti, insidias facerent. Aut si qui sunt alii prætextus, callidis ejus rationibus non dissimiles.

*Aura popularis captatio.*

§. 5. Cùm verò invitis subditis regnum eripere non posset, ac omnibus se opponere temerarium ac plenum periculi fuisset, subditorum animos sibi conciliandos duxit. Elegans est Plauti verbum:

Viam qui nescit, quâ deveniat ad mare,  
Eum oportet amnem quærere Comitem sibi.

Ita prorsus, qui rerum novarum est cupidus, populum sibi comitem adsciscere debet. Quare & Absolon, dum caput rei aggredi vult, promiscuam plebem sollicitat, certius sibi ab ipsa præsidium auxiliumque promittens, quod & animo inconstans & viribus validior esset. Hinc regio stipatus satellitio, ac perstreptenti currum sonitu vestibisque; splendidioribus ornatus, ad portas properat, non cogit, sed artibus trahit & allicit.

Ante omnia autem reverentia & amor, quo populus erga Regem ferebatur radicitus erat extirpandus, ut suarum partium studium inferere posset. Aliena lædenda erat Majestas, ut propriæ fundamentum jacere posset. Speciosis itaque prætextibus ac variis agendi flexuris occultiores cuniculos agit, ut unicum ac virtutum Regiarum præcipuum fulcrum concuteret ac labefactaret. Neglectus Justitiæ reum agit. Quæ poterat criminari jure optimo & verissimo, cædem, adulterium, illa silentio involvit, satis gnarus, privata vitia non laxare imperii vincula, neque tyrannum reddere. Ne quid deesset sceleri, mavult splendide mentiri, ut injustitiæ notam Regi inurere posset, quæ rectè Tyrannidis character dicitur Grotio l. 3, c. 3. de Jure Pac. & B. Nam ut Justitia cæteras virtutes omnes ambitu quasi suo complectitur, ita maligna ejus absentia actiones omnes infamat, quas in imperio constitutus committit: ut adeò Plato Tyrannidem aptissimè Injustitiæ Ideam dixerit. Nunc quia & unus injustitiæ actus Principem Tyrannidis minimè convincit, sed consummatus quidam habitus, ex toto vitæ & regiminis instituto æstimandus, Absolonis Astutiam mirari satis non possum. Satis evidens injusti Regis argumentum videri pote-

63.  
poterat, quod Ammonis flagitium nullam profecutus fuerit poenam,  
Sed quæ erat hujus hominis calliditas, ne quidem constitutos esse à  
Rege quærebatur, qui disceptandarum rerum curam haberent,  
imò justitiam eo in articulo constitutam esse, ut succumberet, nisi  
ipse subitam laturus esset opem.

§ Itaque liberè sensa animi profert: *Quis me, inquit, constituit  
Judicem?* Primam equidem fronte minimè quis hoc politicis ratio-  
nibus congruum judicabit, cum profunda taciturnitas ac occulta-  
tio consiliorum anima sit, atque is rerum gerendarum modus, qui om-  
nia cæcis ac surdis artibus operatur, utilis & mirabilis sit. Sed  
verò & dissimulatio errores nonnunquam parit, qui dissimulato-  
rem illaqueant. Quare Cæsar, cum primum profectus est in Gal-  
lias, nihil veritus est profiteri, malle se primum esse in villa, quam  
secundum Romæ. Et L. Sylla, quam diu apud animum fovebat  
regnandi cupiditatem, minimè dissimulavit, cum diceret, se om-  
nes mortales vel felices vel infelices fieri cupere, prout sibi es-  
sent amici vel inimici. Ac illi quidem, qui liberè professi, pro-  
spera omnia consecuti sunt: Pompejus verò, cum eadem, quæ  
Absolon, Cæsar, Sylla, agitaret animo, viis tamen magis obscu-  
ris & umbrosis incedebat, ac ut Tacitus de illo, *occultior non me-  
lior erat.* Quid igitur occultando adeò suas cupiditates, effecit  
nisi ut illi, qui procul dubio fuissent complices, quid vellet, non  
perciperent? Absolon vero revelando ea, quæ secum statuebat,  
promptam ubique assecutus est operam. Ut autem turbarum  
patroni, etiamsi alienum servitium & dominationem sibi concu-  
piscant, nihilominus speciosa nomina, Libertatem, Bonum pu-  
blicum, Protectionem prætendunt: ita & Absolon sub hoc um-  
bone securius agebat. Regiam dignitatem nequaquam appete-  
re videri volebat, sed Judicis officium postulabat. Sylla ratio-  
nem armorum quæsitus, respondit, ut Patriam à Tyrannide libe-  
raret, quam tamen revera inducere animus erat. Nostris autem  
temporibus Cromwellius Protectoris nomen sibi sumpsit, ratus,  
hoc nomen aptissimum ad colorandas res suas esse fucum. Ab-  
solonis autem consilium tantò est callidius, quo magis Judicis no-

men illa omnia, quæ alii jactitant, Libertatem, Salutem, Protectionem comprehendit. Justitia æquabiliter distributa, & libertatem unà conservat: Libertas autem Justitiæ æquitate vacua, & hanc & seipsam tandem pessundat.

γ Commoverat jam tum de sede sua Regiam Davidis dignitatem, ac pronum erat totam subvertere, cum insignia illa blandimenta accederent. Mittebat in amplexus, si quis regium honorem deferret, prolapsos erigebat, tangebatur humeros, ac osculabatur. Utque suam affabilitatem Populo abunde probaret, inquirebat sedulo, cujas esset, quæ coram judicio disceptanda illi causa, atque hac cognitâ addebat, de bonitate causæ minimè dubitandum. Quo id est assecutus, ut, postquam suo judicio res esset probata, illi persuasâ negotii sui æquitate, quòd illâ frui sibi non liceret, Regem in culpa esse existimarent. Et fortassis non adeò abludet conjectura nostra, quæ ab ejus versutia non est aliena, si Absolonem hos ipsos, quibus blandimentis suis imposuit, ut major verbis constaret fides, ad Regis aut Judicum faciem non admisisse dixerimus. Hi ergo ubi domum reversi, quo magis Absolonis deprædicarunt comitatem ac sollicitudinem, eo acrius in Regem injustissimum invecti.

*Pulcritudo.*

§. 6. His accedebat excellens forma & aptissimus totius corporis habitus, quem non inefficax hujus dominationis medium meritò facimus. Nonne enim Romani ob formæ præstantiam Heliogabalo imperium detulerunt? Nonne Æthiopes regem sibi sumpsere, qui esset pulcherrimus? Spectarunt eandem Indi, & Alexand. M. contemptui habitus est à Regina Amazonum, quòd non perinde pulcher, quàm rerum gestarum famâ esset celebris, quâ percita ad ipsum venerat. Quidni Absolonis elegans vultus reliquis suis artibus gratiam addidit? Cùm tanta fuerit ejus excellentia, ut nullus fuerit in toto corpore nævus, omnibusq; Israëlitis palmam præriperet. Quod dum dicit noster Historicus, complexus est illa omnia, quæ profani in suis vel historiis, vel fabulosis commentis longâ ac luxuriosâ oratione laudant ac commendant. Equidem ut monet Euripides,

Animus

Animus spectandus est, nihil pulchritudo.

Juvat, cum quis mentem bonam non habet.

nihilominus, cum non facile aut proclive sit animi videre pulchritudinem, neque illa oculis se insinuet, Vultum vana hominum multitudo miratur. Jam tum, cum urbes condere inciperent, in deferendo regimine pulchritudinem respexisse homines scribit Lucretius l. 5.

Et pecudes & agros divisere atque dedere  
Pro facie cujusque, & viribus ingeniiisque,  
Nam facies multum valuit.

Et sane si quid est tribuendum oculorum ac sensuum judicio in deligendis Regibus, quomodo Medi corporis robur spectabant, longitudinem & proceritatem Mæroenses, molem & obesitatem Gordii (Scytæ sumebant bibacissimum) pedum denique perniciem Lydi attendebant, si quid, inquam, valet externus aspectus, pulchritudinis potissima ratio jure habetur. Est enim plerumque mentis simulacrum, ac ex forma non levis de animo tantum sed & nobilitate conjectura sumi potest, quod de se fateatur Ovidius:

Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,  
Indicium rectæ nobilitatis erant.

Hæc est illa fenestra, quam in corpore humano Momus optabat. De cætero illud tenendum: Deformitate corporis minimè foedari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari.

§. 7. Ut autem rebus innovandis Absentia semper est judicata aptior, (præbet enim usque ad consiliorum maturitatem latebras, ac promptiora subsidia malis consultis subministrat,) ita & Absoloni non potuit non idem placere consilium. Augustus verò, sagacissimus Princeps, cum faciles absentium motus nosceret, edicto statuit, ne quis Senatorum, injussu Principis, Italiâ excederet, ut legitur apud Svetonium. Eadem etiam ratione Henricus II. Angliæ Rex. publicæ securitati prospectum voluit: Archiepiscopis ac reliquis Illustribus Viris, absque licentiâ Regis, ultra regni limites progredi nequam concedebatur; Sicubi verò, annuente Rege, discederent, dabant

*Iter versus  
Hebronem*



bant sponſionem, ſe nec eundo nec redeundo, nec moram faci-  
 ciendo, Regi damnum aut periculum allaturos. Selden. in Ja-  
 no, Angl. l. 2. n. 48. Moſchis eadem, ac aliquantum adhuc  
 ſtrictior Lex eſt, alio tamen collimans. Cum igitur & Abſolon  
 commoda abſentiæ ſatis ſuperque perſpecta haberet, Hebronem a-  
 bire ſtatuit, quod erat callidiſſimum inſtitutum. Hic locus ha-  
 bebatur ſacer atque regni auſpiciis, quæ illic ſumebantur, erat  
 nobilitatus. David auditâ morte Saulis, ut ad ſperatum regnum  
 perveniret, non Ciclagæ nec Kegilæ morabatur, Hebronem in lu-  
 cem Judææ abiit. Hic ſacram Reges accepere unctiorem, quam  
 ſibi etiam conferri procul dubio curâſſet Abſolon dummodo hoc  
 negotium è re ſua viſum fuiſſet. Cùm enim illi, qui erant ſucceſ-  
 ſores legitimi, ut tradunt Hebræi, ſacro hocce ritu non un-  
 gerentur (habebantur enim paternæ aut avitæ unctiorem partici-  
 pes) Abſolon ſiniſtram de ſe ſuſpicionem ſuggerere noluit.  
 Salomonem equidem & Joam, etiamſi & ipſi juſto hæreditatis ti-  
 tulo regni faſces ſuſceperint, unctos nihilominus legimus, quod  
 inde factum putat Abarbenel. diſſ. de Jud. & Reg. veteris Teſtam.  
 quoniam Salomoni quidem Adonias, Joæ autem Athalia in ade-  
 undo regno litem movit. Nunc non tantùm ambitioni juris  
 ſpeciem deeſſe noluit Abſolon, ſed inſuper, neglectâ  
 unctiorem omnibus perſuaſit, adeſſe nullum, qui  
 litem ſibi intentare auderet.



VOT

70



52



M  
1800

